

tate singulari raptus investiganda, quod ante Justinianum aequè puniretur stuprum vi illatum, ac raptus, quemadmodum aequè puniebatur adulterium, ac raptus mulieris nuptæ, una excepta præscriptione quinquennii, l. 5. §. 2. ff. ad leg. Jul. de vi publ. Non desunt, qui contra sentiant, quod putent ita visum fuisse Justiniano, dum in dicta l. un. cod. de raptu virgin. pœnas adversus raptorem exasperans, inquit: *Maximè cum virginitas, vel castitas corrupta restitui non possit.* Verùm adnotanda in primis ab ipsis erat particula illa *maximè*, quæ sanè non postulat, necessariò evenire debere, quod sub eadem exprimitur, quemadmodum animadvertitur etiam in eadem lege, ubi dicitur: *Maximè si Deo fuerint virgines, vel vidua dicata;* deinde adnotandum erat, Justinianum ad id, quod frequentius accidere solet, respexisse; quasi raptam etiam violatam fuisse præsumatur, juxta illud Ovidii: *Ab juvene, & cupido credatur reddita virgo?* Præterea dico, constitutionem Tridentini Concilii, cæterasque veterum leges de raptibus latas ad eos etiam pertinere, qui suas sponsas rapuerunt; etenim recentiores constitutiones, ubi nihil perspicuè in contrarium exprimunt, de iis intelligendæ sunt recta interpretatione, qui raptorum numero apud veteres habebantur; at verò tales habebantur etiam qui sponsas suas rapuissent, dicta l. un. princ. ibi: *Quibus communerantur etiam eum, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.* Non ignoro, vulgò non esse receptam hanc opinionem, dum passim placuit, raptorem sponsæ suæ extra ordinem tantum puniendum esse non ordinariæ legum pœnæ subjacere, ex eo quod crederent ita specialiter definitum in cap. 6. de raptor. Vellem ego, ut ii, qui ita scriperunt, cautius investigavissent Lucii III. definitionem; tunc enim cum intellexissent faciliè, ibi non agi de eo, qui sponsam, sed de eo, qui uxorem suam, cum qua necdum matrimonium consummaverat, rapuerat, argu-

mento can. 10. caus. 36. quæst. 2., quemadmodum etiam intelligendus est canon 49. caus. 27. quæst. 2., seu canon 2. caus. 36. quæst. 1., & canon 5. caus. 36. quæst. 2., tùm causam agnovissent, quare mitius in proposita specie agendum Lucius III. voluerit, neque eandem Lucii sententiam ad raptum sponsæ traduxissent. Difficilius est investigare, an pœna raptoris imminet illi, cui non matrimonii, sed libidinis tantum explendæ causa puellam rapuerit. Non dubito sanè, quin & ipse teneatur; cum leges, quæ raptorem puellarum pœnis gravissimis affligerunt, generales admodum sint, nec propterea faciliè possint ad eos tantum referri, qui causa ineundi matrimonii rapuerunt; secus enim futurum esset, ut illæ vix locum haberent, allegantibus raptoribus, se, dum rapere, animum nuptiarum contrahendarum non habuisse, qui sanè in ea re legum præsumptione jurentur, cum unusquisque in dubio præsumatur id noluisse, quod non ignorat, jure consistere non posse. Adde, istiusmodi raptores, si punirentur non pœna raptus, sed pœna vis illatæ, obligandos tunc fore ad puellam raptam in uxorem habendam, nisi eam dotare maluerint, cap. 1. & 2. de adulter. quod sanè à germana legum sententia nemini non alienum videbitur. Vulgò etiam observant, eum à pœna raptus immunem esse, qui non honestam mulierem, qualis esset meretrix, raperet; neque hæc opinio dissonat à legum verbis: In primis enim Justinianus in dicta l. un. tantum meminit virginum honestarum; deinde Ulpianus eum, qui alienam ancillam meretricem rapuit, furti non teneri apertissimè scripsit, l. 39. ff. de furtis. Finge nunc, rapti consentientem puellam, dissentientibus ejusdem parentibus, vel, ubi parentes deficiant, curatoribus. Etiamum puto, raptus pœnæ locum esse ob perspicuam Justiniani constitutionem; quia consensus ille mulierum ab insidiis nequissimorum hominum, qui rapinam me-

ditantur, extorqueri præsumitur, dicta l. un. §. 2., juncto §. 1., in quo non tantum parentum mentio fit, sed etiam tutorum, & curatorum; unde satisfit alteri quæstioni, num raptus esse dicatur, ubi non vi, sed importunis precibus, aut propositis dative præmiis, femina abducatur; siquidem jura in memoratis pœnis stabilendis non tantum vim, sed & quod vi simile esse videtur, puniendum voluerunt, ne hostili quodam more in republica matrimonii societur, dicta l. un. §. 1. Potiore ratione raptus pœnæ locus fiet, ubi puella consentientibus parentibus, vel curatoribus per vim ipsa abducatur, cum in conjugii ducendarum potissimum puellarum consensus liber omnino esse debeat, atque ob eam præcipuè causam leges in raptorem animadvertent. Quid verò, si non vir mulierem, sed mulier virum rapuerit? Solius profectò rapientis viri mentio fit, sive in dicta l. un., sive in dicto Tridentino decreto, quod infrequens admodum sit, & vix credibile, tantum fœminas ausuras esse. Cæterum mihi placere non potest opinio asserentium, in proposita specie pœnis raptus locum non esse saltem in ea parte, qua leges inter raptorem, & raptam conjugium consistere non posse constituerunt; sive ex eo, quod legis sententia quæcumque matrimonia hostili more contracta

improbentur, sive ex eo, quod aliis collusionibus locus aperiretur, quibus fraus legi fieret, dum viri puellas rapturi, ut pœnas legum eluderent, puellis faciliè persuaderent, ut ab illarum factio flagitium raptus inciperet. Ad hoc, sive in dicta l. un., sive in dicto Tridentino decreto, ubi de puniendis iis agitur, qui consilium, auxiliumque raptori præbuerint, nullum haberi sexus discrimen: cur igitur discrimen habeatur, quoties de illis agatur, qui raptum ipsum admiserint? Denique queri solet, an pœna raptus etiam tùm locum habeat, cum non quis sibi, sed alteri conjugio jungendam puellam rapuerit. Ad eum, qui rapuit, faciliè legum sententia extenditur: sed ubi agatur de eo, de cujus nuptiis raptor cogitavit, si ipse conscius raptus fuerit, raptiisque consenserit, nec dubito, quin eidem matrimonio cum rapta contrahendo interdicatur, ac si ipse rapisset: quid enim interest, an per se quis, an per alium gravissimum crimen admittat? At si is conscius criminis minimè fuerit, nulli erit pœnæ locus, nisi fortè raptum ille ratum habeat, & sub sua potestate vel apud se, vel apud raptorem, puellam abductam detineat, cum nihil intersit, quod vim inferendam, an puellam abduxerit aliquis, an ab alio abductam vi detineat.

## CAPUT IV.

### De conjugii, quibus obstat necessitudo cognationum.

**H**ucusque disputata ad eos pertinent, qui ex ipsa conjugalitatis acutis natura ad contrahendum minimè idonei habendi sunt. Ad alios nunc convertatur oratio, qui licet ex natura contractus à conjugii non videantur arceri, legibus tamen prohibentur, quæ honestatem quandam variis etiam modis pro varietate temporum definitam, ser-

vandam in conjugii præscriperunt, sive illæ divinæ leges sint, sive Ecclesiasticæ, sive publicæ Principum; atque hæc omnes sive in naturalis juris quadam interpretatione versentur, sive naturalis juri nonnihil adjiciant. Itaque in primis, legibus reprobantur matrimonia illorum, qui jam certo inter se necessitudinis, seu propinquitatis vin-

culo adstringuntur: quæ necessitudo, seu propinquitas multiplici ex capite oritur; nimirum vel ex consanguinitate, vel ex adfinitate, & quæ proximè ad adfinitatem accedit, iustitia, ut vocant, publicæ honestatis, vel ex cognitione legali, sive civili, sive ecclesiastico abs jure proficiascatur.

Consanguinitas inter eos intercedit, qui ex eodem stipite, vel proximo vel remoto conjunctionibus distinguitur, debeatque uxor esse veluti socia mariti, in ejusdem adjutorium data, quamquam constituta sub marito tanquam familiæ capite, non satis consonare videtur, eam sociam haberi, quæ si filia sit, non alia præstare possit, quam reverentiam officia, si mater, ipsa reverentiam à filio postulet, nunquam in filii potestatem aliquam redigenda. Sunt istæ generales naturæ præceptiones, quæ etiam obtinuisent apud homines in statu vitæ innocentis constitutos. At post lapsam humanam naturam, arctius obligare etiam potuerunt ob superveniens aliud etiam naturale præceptum de parentis turpitudine non revelanda, jam in sacris veteris Testamenti litteris indicatum, & à me jam superius explicatum hujus tractationis exordio. Neque verò ab hoc jure longè distitum est aliud naturale præceptum, de non conjugendis matrimonio iis, qui licet parentes & filii non sint, filiorum tamen & parentum loco habentur, cujusmodi sunt nepos & amita, vel matertera, neptis & patruus, vel avunculus, similesque personæ, l. 17. §. 2. ff. de ritu nupt. Paucis id tradidit Paulus in l. 39. ff. de ritu nuptiar., ubi postquam docuit, sororis proneptem quemquam non posse uxorem ducere, quoniam parentis loco ei sit, addidit in §. 1. incestum esse, cum quis ducat eam, quam *moribus* ducere prohibeatur. In conspectu hujus doctrine duo observantur; quorum primum est, Jureconsultum non ibidem Romanam legem quandam singularem explicare, sed potius Philosophum agere, &

versis traderet in cap. 2. Geneseos, ex quo statuit, relinquendos esse patrem, & matrem, ut adhaerere uxori, perspicuè indicavit, aliam esse parentem & liberorum, aliam, nec benè jungendam cum priore, viri & uxoris necessitudinem. Reverà cum inter homines conjugium non tantum ad perennitatem generis referatur, sed ad quandam arctissimam vitæ societatem, in quo à brutorum conjunctionibus distinguitur, debeatque uxor esse veluti socia mariti, in ejusdem adjutorium data, quamquam constituta sub marito tanquam familiæ capite, non satis consonare videtur, eam sociam haberi, quæ si filia sit, non alia præstare possit, quam reverentiam officia, si mater, ipsa reverentiam à filio postulet, nunquam in filii potestatem aliquam redigenda. Sunt istæ generales naturæ præceptiones, quæ etiam obtinuisent apud homines in statu vitæ innocentis constitutos. At post lapsam humanam naturam, arctius obligare etiam potuerunt ob superveniens aliud etiam naturale præceptum de parentis turpitudine non revelanda, jam in sacris veteris Testamenti litteris indicatum, & à me jam superius explicatum hujus tractationis exordio. Neque verò ab hoc jure longè distitum est aliud naturale præceptum, de non conjugendis matrimonio iis, qui licet parentes & filii non sint, filiorum tamen & parentum loco habentur, cujusmodi sunt nepos & amita, vel matertera, neptis & patruus, vel avunculus, similesque personæ, l. 17. §. 2. ff. de ritu nupt. Paucis id tradidit Paulus in l. 39. ff. de ritu nuptiar., ubi postquam docuit, sororis proneptem quemquam non posse uxorem ducere, quoniam parentis loco ei sit, addidit in §. 1. incestum esse, cum quis ducat eam, quam *moribus* ducere prohibeatur. In conspectu hujus doctrine duo observantur; quorum primum est, Jureconsultum non ibidem Romanam legem quandam singularem explicare, sed potius Philosophum agere, &

na-

naturalis legis interpretem; alterum est, dici illud non legibus, sed *moribus* introductum; quo indicatur, id ex jure gentium, ut vocant, primario proficiisci, quemadmodum Pomponius in l. 8. ff. cod. tit. etiam scribebat, non legibus, sed *moribus* introductum fuisse, ut libertinus libertinam matrem ducere, aut sororem prohiberetur. Id adeo verum est, ut Anastasius Imperator ne Imperatorio quidem rescripto voluerit, nuptias hujusmodi posse consistere, l. ult. cod. de incestis, nuptiis, juncta l. 2. cod. si nupt. ex rescr. pet. Eoquidem fateor, non adeo rigidum, neque adeo perspicuum esse naturale præceptum, quo inter ejusmodi personas conjugium improbat, quemadmodum improbat conjugium parentum, & liberorum; & tantum inter utramque speciem intercedere, quantum distat pater ab eo, qui loco parentis est, & filius ab eo, qui loco filii habetur. Verùm ad eam prohibitionem inducendam jure naturæ, sufficere mihi videtur, ut jure etiam naturæ inducitur sit, ut patruus & avunculus, amita & matertera parentum loco respectu nepotum, & neptum habeantur. Quid enim aliud est, jure naturæ loco parentis esse, quam ut eandem æquè, ac parens exigat ab iis, qui loco filiorum sunt, reverentiam? Quod si reverentia jure naturæ debetur, quale esse conjugium potest, in quo æquabilem societatem naturali eodem jure intervenire necesse est? Neque his obstat lex i. cod. Theodos. de incestis nuptiis, quasi ex ea videantur primum Imperatores Constantinus, & Constans hæc connubia improbavisse. Nam hæc lex inducta fuit ad revocandum Senatusconsultum Claudianum, quod favore Claudii Imperatoris Agrippinam neptem suam nefario amore depereuntis, concesserat patruis neptes uxores ducere. Quoniam de personis in transversa linea constitutis quaritur, multò dissimilis ratio est; neque enim respectu earum obtinent, quæ

modo dicebam, nimirum reverentia debitum, ex quo æquabilis societatis vinculum excludatur. Sed in his, aliis principis res tota nititur; iis nimirum, quæ tractationis initio posueram, dum naturalia jura in conjugis contrahendis expendere, & ad ea, quæ in cap. 18. & 20. Levitici à Deo constituta fuerunt, accomodare. Paucis rem contrahamus. Duo obstant conjugis consanguineorum in transversa lineis constitutorum. Primum societati hominum fovendæ, adjuvandæque apprime conveniens; alterum naturali cuidam honestati consentaneum, postquam lubricata natura peccato originis labefacta non sine quadam ferè turpitudinis nota matrimonio usa fuit. Societati conveniens est, juxta ea, quæ scribebat Augustinus suprâ laudatus in lib. 15. de Civitate Dei cap. 16., ut dum multiplicaretur hominum numerus, mutuaque proinde adfectio ob laxius in dies redditum sanguinis vinculum tepesceret, studiosius curaretur, quo per remotiorum familiarum conjugales conjunctiones, reduceretur amor, & necessitudo restauraretur. Naturali cuidam honestati consentaneum est post naturam peccato originis labefactam, ut nemo ejus conjugio fruatur, in cujus usu ipsam nativitas suæ maculam quodammodo præsentem menti suæ faceret, quod contingeret, ubi eam duceret uxorem, aut illi viro jungeretur, in cujus persona facile sibi parentum suorum vividam imaginem ob oculos positam adspiceret; quò pertinere puto phrases illas sacrarum veterum litterarum, quæ præstituit, *ne paterna, vel materna turpitudine revelaretur*, Levitici cap. 18. & 20. Quoniam verò duo isti conjugiorum inter consanguineos collaterales incundo- rum obices nimis generales sunt, & nec facile, nec æqualiter in variis consanguineorum gradibus occurrentes, ideo locum fecerunt prudenti Legumlatorum arbitrio, quò fieret, ut naturale jus diversam pro diversitate adjunctorum in-

Q2

ter-

interpretationem haberet; modò enim prudentia suadebat, ut ex remotiore linea quis sibi conjugem adsciret, modò ut in familia parentum suorum matrimonium celebraret; siquidem naturalia hujus generis præcepta certis singularibus causis innixa, non ita individua sunt, & facile in universis aut personis, aut locis, aut temporibus observanda, ut temperari nusquam vel possint, vel debeant. Quid ex. gr., si fœdera inter duos populos jamdiu divisos paciscenda forent ex publica causa? Nonne tunc utilitas publica postularet, ut intra gradus plures etiam longè remotos conjugia prohiberentur, quo opportunior, & commodior daretur occasio familiarum remotiorum conjugii sociandrum? Quid è contrario, si publicè interesset, ut à familiarum, & populorum longè remotorum consuetudine abstineretur? Nonne & tunc publica postularet utilitas, ut ad paucos gradus consanguineorum, impedimenta conjugiorum coëcerentur? En causam, quare pro diversitate adjunctorum generales illæ naturalis juris præceptiones modò largiorem, modò contractiorem interpretationem acciperent, quemadmodum reverà accessisse scimus, si per varias temporum, locorumque vices investigando expatiemur.

Itaque quod pertinet ad fratrum, sororumque conjugia, demptis conjugii invicem contractis inter filios, & filias nostrorum communium protoparentum, utpotè quorum respectu natura non de illa causa sollicita esse poterat, quam de illorum animis arctissime conciliandis, ea deinde perpetuò improbanda fuerint; neque enim exempla ulla respiciamus conjugiorum inter ipsos contractorum, quæ probata à viris prudentibus, & moratis aliquando fuerint; præterea memoratas illas duas naturalis juris præceptiones ita locum habere in fratribus, & sororibus intuemur, ut vix emergere casus possit, qui dispensationem admittat. At si de fratrum filijs aga-

tur, eove facilius, si sermo sit de constitutis in gradu remotiore, multa occurrere poterunt argumenta, ex quibus conjugia inter ipsos ineunda modò improbandentur, modò etiam sine discrimine reciperentur. Prolegum aliquando in sacris Veteris Testamenti litteris conjugium adparet in Abrahamo & Sara; quamquam enim Abraham dixerit eam sororem suam, Genes. cap. 12., latius tamen eo nomine usus est, ut significaret, eam fuisse ex Nachor communi avo, non ex patre Thare genitam, Genes. cap. 20. vers. 12., quemadmodum & Lot appellatus est frater Abrahamæ, Genes. cap. 13. vers. 8. & 11., & cap. 14. vers. 14., licet Lot esset filius Aram, non Thare patris Abraham, Genes. cap. 11. vers. 27., & cap. 12. vers. 5. Istud sanè conjugium probandum maximè erat ex singularibus gravissimis causis, videlicet, quòd non deceret, Abrahamum ex aliis familiis, quatum mores erant corruptissimi, & à veri Dei cultu maximè alieni, uxorem ducere, quæ eadem causa fuit, quare iterum Abrahamo ad exeundum de terra sua urgeretur, uti legimus in cap. 12. Genesios; quæ itidem eadem causa fuit, quare iterum Abrahamo divino consilio de familia patris sui uxorem filio suo quaesierit Rebeccam proneptem suam ex fratre Nachor, Genes. cap. 24., quæ denique causa fuit, unde generaliter caveretur in cap. 18. & 20. Levitici, ut exceptis paucis quibusdam personis, apud Judæos in eadem familia constitutos conjugia invicem juangerentur; ne fortè si in remotiore gradu constitutas conjuges aliqui sibi quærere debuissent, alienigenas sibi quæreret sociandas in detrimentum religionis. His addi potest divinum alterum præceptum Hebræorum populo singulari jure indictum de non quærendis uxoris ex aliena tribu, una excepta Levitica; ne occasione dotium, & legitimarum successionum, factæ distributionis funiculus rumpetur, idque ad publicam illius popu-

li pacem, & tranquillitatem. Atque ut ad recentiora tempora descendamus, & Christianorum disciplinam indicemus, constat, primis Ecclesiæ sæculis, quibus Ecclesia in hac re publicum Romanorum jus sequebatur, fratrum vel sororum filios, ac propterea secunda generatione à communi stipite distantes, potuisse inter se inire conjugia, l. 3. & 6. §. 1. ff. de ritu nuptiar., quamquam tamen id admodum rarè contingeret, & tùm demùm, quum communis parens id consilium veluti familiæ optimum præbuisset, uti leges modò laudatæ demonstrant; imò & quoties contigisset, vulgò, utut legitima, non tamen satis honesta habebantur, l. 2. cod. de institut. & substitut. Quòd pertinet, quod tradit S. Augustinus in l. 15. de Civitate Dei cap. 16. ibi: *Experti etiam suavis in connubiis consobrinorum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximam, quam rarè per mores fiebat, quòd fieri per leges licebat, quia id nec divina lex prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Et quidem hasce nuptias Romani facile permiserunt, ut removerentur plures obices nuptiarum, quos summa honestas posuisset, quando ipsi interesse reipublicæ putaverant, ut non aliter consistent consubia, quam inter cives Romanos. Hanc ob rem nemo erit, qui non apocryphos judicabit canones 2. 3. 4. 7. & 12. caus. 35. quest. 2., in quibus exhibentur vetustissimi Pontificis Calixtus, Fabianus, & Julius consanguinitatis jura ad impediendum matrimonium ad posteriores gradus produxisse. Primus Theodosius Imperator (sunt verba Ambrosii in epist. ad Paternum) etiam fratres patruales, & consobrinos venis inter se conjugij convenire nomine, & severissimam penam statuit; ad quam legem latam circa annum 390. respectu laudatus Augustinus in verbis modò descriptis & nondum prohibuerat lex humana, indicans, suis primùm temporibus novam illam Imperatoriam legem editam fuisse. Ejus legis pars habetur in codice*

Theodosiano in l. 1. si nuptiæ ex rescripto pet., ejusdemque testimonium fert Tacitus in lib. 12. annalium. Æquissima profectò fuit ejus prohibitionis ratio; siquidem cùm Theodosii ætate multi essent populi Civitatis Romanæ jure donati, commodè connubium inter plures familias iniri poterat, neque amplius opus erat, adeo relaxare generalis juris præceptiones, & consanguineorum conjunctiones in eo gradu permitttere. Retulerunt autem Imperatores in l. unica cod. Theodos. si nuptiæ ex rescripto pet., Theodosium Magnum sibi reservasse dispensandi facultatem, si fortè quædam graves causæ emergent, quibus ex petitione partium indulgentia foret ejusdem conjugii inter consobrinos contrahendis. *Jura res esset, atque constaret, plane Romano positos fuisse consanguinitatis limites certos, quibus fieret, ut ii, qui ulteriore gradu, quam patruelium, aut consobrinorum positi essent, liberè contrahere valerent, patruales autem, aut consobrinii deberent à nuptiis abstinere, nisi recentiores Imperatorum constitutiones adparent, & quod amplius est, rem hanc universam turbarent, unde & recentiores interpretes ad earum explicationem maximè implicantur. Edita adparet anno 396. Constitutio Imperatorum Arcadii & Honorii, data ad Eutychanum Præfectum Prætorio Orientis, l. 3. cod. Theodos. de incest. nupt., qua confirmata fuit in parte, paterna constitutio Theodosii Magni, in parte abrogata: confirmata in eo, quod Arcadius & Honorius adhuc voluerint consobrinis, & patruelibus conjugio interdicitum; abrogata in eo, quòd remiserint penam ignis illis, qui contra legem contraxerint, indictam olim lege Theodosiana. Deinde anno 405. adparet edita altera constitutio eorundem Arcadii & Honorii itidem data ad Eutychanum Præfectum Prætorio Orientis, qua in totum Theodosiana lex abrogatur. Extat autem in l. 19. cod. Justin. de nuptiis his verbis:*

Celebrandis inter consobrinos matrimonii licentia legis hujus salubritate indulta est, ut revocata pristini juris auctoritate, resinlignu calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimu, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, si ex fratre & sorore nati sunt, & ex eo matrimonio editi legitimi, & suis partibus successores habeantur. Denique mirum est sub nomine Imperatoris Honorii ejusdem, & Theodosii Junioris editam anno 409. adparere aliam constitutionem datam ad Theodorum Praefectum Praetorio Italiae in l. un. cod. Theod. si nuptiae ex resc. pet., qua vetitum Theodosii Magni confirmatur, imò & ita exhibetur, ac si nunquam fuisset abrogatum, quasi post Magnum Theodosium nusquam amplius licuerit, patruales & consobrinos invicem matrimonio jungi. In conspectu harum omnium constitutionum facile diceret, aut gravem esse suspicionem emblematum à Consarcinatoribus codicum fictorum, aut maxime inconstantes fuisse Imperatores Theodosii Magni filios, quòd modò paternam legem confirmarent, modò rejicerent, modò iterum comprobarent; quacumque autem sit illarum legum ratio, & modus, esse consistendum in lege postrema anni 409., qua restituta fuisse videtur Constitutio Theodosii Magni, constitutionibus mediè temporis abrogatis. Verum graviter heic intercederet Justinianus Imperator, qui non solum in codice suo retulit tantum legem Arcadii & Honorii anni 405., dicta l. 19. cod. de nuptiis, verum etiam in suis institutionibus §. 4. de nuptiis ita scribendum voluit: *Duorum autem fratrum, vel sororum liberi, vel fratris, vel sororis conjugii passum; quasi temporibus Justiniani, sive saeculo Ecclesiae sexto, Theodosiana lex penitus in usu esse desisset, & una lex Arcadii & Honorii anni 405. vigeret.* Mirum est, quae, & quanta in hanc rem commenti fuerint juris Interpretes, inter quos laudo Brissonium, Contium, Gottofredum, & Franciscum

Florentem. Alii adversus Justiniani codices insurrexerunt, & Tribonianum incusarunt, quòd parum accuratè se gesserit; & de referenda tantum laudata constitutione Arcadii & Honorii sollicitus fuerit; imò & ad eam fragmentum Institutionum exegerit in dicto §. 4. Modestius alii adfirmarunt, dictam legem 19. Gothorum manu fuisse insertam in codice Justiniano, in quo antea desiderabatur, unde etiam eam suspicantur apocrypham; ajunt praeterea §. 4. Institut. de nuptiis depravatum legi in vulgaribus codicibus, cui potius adjicienda sit particula negativa, proptereaquod eandem negativam particulam invenerint, in institutionibus Theophili, & apud Ivonem in parte 9. decreti cap. 1. Alii Justiniano & Triboniano faventes scripserunt, parum findendum esse in hac parte vulgaris Theodosiani codicis exemplaribus, in quibus multa à veritate aliena adjecta sunt ab Aniano, qui jussu Athalarici Regis eum compilavit; inter quae collocant laudata ejusdem codicis monumenta. Alii denique, ut singula commodè conciliarent, tradiderunt, in dicta l. 19. cod. de nupt. non quidem generaliter concessum fuisse, ut consobrini & patruales nuptias inter se quasi nullo jure prohibente contraherent, sed tantum remissam ipsis Principem exorandi, dispensationis obtinentiae ergo, necessitatem à Theodosio Magno pridem impositam in certis causis, quasi nova Arcadii & Honorii lege, gratia singulis fieret, quin opus esset libello supplicii porrigendo, ad exemplum remissae necessitatis supplicandi ad obtinenda jura annulorum aureorum, jura plurium liberorum, jura Civitatis Romanae, item jura codicillorum, & fideicommissorum, uti olim in more erat. Prolaxa nimis, & propemodum infinita disputatio fieret, si singulas hujusmodi opiniones conficiendo persequeretur; aut enim omnes parum verosimiles esse videntur, aut quaedam manifesta falsitas

tis facile revincuntur. Tantum dicam, donum Interpretum agrè eò adduci debere, nec nisi evidentibus argumentis, ut sanctissimorum codicum fidem elevet, atque auctoritatem; neque enim quemquam in contrarium movere debet aut Theophili, aut Ivonis auctoritas superius commemorata. Etenim Theophilus cum scripserit post Trullanum Concilium, in cujus canone 52. verita fuerunt consobrinatorum conjugia, facile in suis institutionibus potuit adjicere particulam negativam, atque ita, cum doceret juxta leges suis temporibus receptas, rectum Justinianeam insuper habere; & Ivo potuit potius Theophilum sequi, quam Justinianum in ea re, in qua textus Theophili magis erat Ivonianis temporibus accommodatus. Ad do, postremam opinionem, qua traditur, in dicta l. 19. cod. de nupt. remissam tantum fuisse supplicandi necessitatem, praeterquam quòd repugnat legis ejusdem veris, si non funditus evertit ex eadem l. 19. veterem legem Theodosianam, eam tamen ita reddere inane, ut cortice tenui consistere videatur; fingitur enim, unicuique liberè ea matrimonia contrahere licere, dummodo contrahens intelligat, etiam sine rescripto singulari, id ex Imperatoris gratia generaliter obtinuisse: neque verò agitur in hac re de evadenda mera juris subtilitate, uti in jure aureorum annulorum, & similibus, cum potius agatur de lege ad naturalem quandam honestatem composita, non facile propterea insuper habenda, causa non cognita. Adversus eos, qui dictam legem 19. cod. de nuptiis apocrypham putant, adferre possem epistolam Magni Gregorii ad Augustinum Anglum, cujus fragmentum est in can. 20. caus. 35. quest. 2. ubi dicitur, quandam legem in Romana republica permittere, ut filii fratrum & sororum invicem conjugio miscerentur, quae sanè referri tantum potest ad dictam legem 19. Verum ea Gregorii Magni epistola & ipsa ab eru-

ditis pluribus apocrypha judicatur. Ceterum cum eadem epistola nota fuerit vetustis scriptoribus, ac potissimum Bedae, satis liquet, jam octavo saeculo eam epistolam circumferri consuevisse, ac propterea jam tum compertam fuisse dictam legem Arcadii & Honorii, nec dici posse recentiorum quorundam figmentum. Quidquid praeterea in l. 17. cod. de nupt. ubi personae memorantur, quarum nuptiae improbantur, de fratrum, sororumve filiis nulla mentio fit, quam sanè Tribonianus fecisset pro auctoritate, & consuetudine sua, si tunc Theodosiana adhuc lex vigeret; quemadmodum & in eadem lege addidit mentionem neptis ex fratre, cujus sanè nulla mentio fiebat in autographo ejusdem legis, prout erat in codice Theodosiano descripta. Quidquid Tribonianus idem cum reduceret in codicem suum legem unieam cod. Theodos. si nupt. ex resc. pet., nimirum in legem 1. cod. Justinian. cod. tit., multa resecevit, quibus indicatur, vigere adhuc legem Theodosianam, atque ita descripsit, ut videretur actum esse de eadem lege Theodosiana? Imò & Justinianus idem in §. 3. instit. de nupt. cum scripsit neptem fratris duci uxorem non posse, frustra adjecisset ea verba: *Quamvis quarto gradu sint*, si generaliter verum fuisset, ejus aetate matrimonia celebrari potuisse inter duorum fratrum, vel sororum filios, qui quarto esse gradu dicebantur. Agedum ergo, difficultates omnes dissolvamus. Ego habeo tanquam genuinas memoratas leges universas, tum Theodosii, tum Arcadii & Honorii, tum Justiniani. Et quando illae invicem conciliandae sunt, observo, Arcadii & Honorium divisisse inter se administrationem universi Imperii ita, ut Arcadius Orientale, Honorius Occidentale Imperium regeret, solida tamen ratione, quasi indivisum adhuc Imperium esset; & unius vice duo Principes fungerentur, camque ob rem alterutris leges, & rescripta, utriusque Principis nomen pra-

præferēbant. Hinc contingebat, ut quod unus statueret, quandoquē repugnare statuis alterius, utpotē qui statuta fratris, utut communi nomine edita, ut plurimum ignorabat. Hinc factum est, ut identidem adpareant constitutiones duorum illorum Principum propē sub eadem tempora editæ invicem sibi contrariæ, non sanē quōd sibi Honorius, aut sibi Arcadius contradiceret; sed quæ Honorio placebant in Occidente, displicebant Arcadio in Oriente, semper tamen legibus ab alterutro latis, utriusque nomine proditis, uti liquet inter cætera ex legibus 159. & 160. cod. Theodos. de decurion. Recentiores legum Interpretes parum ad id animadvertentes, tradere non dubitaverunt non sine injuria eorum Principum, cæteras leges illos constituisse, quas modò figerent, modò refigerent, quemadmodum scripsit Vertrianus Maurus in lib. de jure liberor. cap. 23. Itaque ut ad rem proximè accedam, post constitutionem Magni Theodosii latam circa annum 390., & ab ejus liberis confirmatam anno 396., l. 3. cod. Theod. de incest. nupt., Arcadius in Oriente edidit dictam legem 19. cod. Justin. de nupt. anno 405., qua paternam legem de prohibitis consobrinorum nuptiis abrogavit, adposito legi suæ etiam nomine fratris Honorii, qui cæteroque legem fraternam ignorabat. Quōd autem ea lex sit Arcadii Orientale Imperium administrantis, liquet ex eo, quod directa sit ad Eurychianum Præfectum Prætorio Orientis. Viceversa anno 409. edita fuit ab Honorio fratre lex unica cod. Theodos. si nupt. ex rescript. pet. qua confirmavit Theodosii Magni constitutionem, & respiciebat tantum Occidentale Imperium ab Honorio administratum, cujus rei argumento est, quōd lex illa directa fuerit ad Theodorum Præfectum Prætorio in Occidente, quam legem æquē ignorabat Theodosius Junior, qui Arcadio similiter successerat, Orientale Imperium administrans. Quæ-

nam fuerint, aut esse poterint Arcadio causæ, cur conjugia consobrinorum permitteret, non satis liquere potest. Ait ipse in dicta l. 19., se voluisse *calumniarum fomenta restringere*; fortè enim quidam erant, qui portectō libello supplicii apud Imperatorem dispensationis obtinendæ causa, (quod permisum erat lege Theodosiana) falsis causis Imperatores ipsum circumveniebant, & passim contra legum vetita per propositas calumnias conabantur. Cæterum exinde constat, tunc disciplinam aliam apud Græcos, aliam apud Latinos invaluisse, ut dum Græci observarent legem Arcadianam, Latini constanter inhærent legibus Theodosianis ab Honorio filio confirmatis. Quamobrem Justinianus & ipse Græcus & Constantinopoli residents Imperator, disciplinæ Arcadianæ adherens, Arcadii legem suo codici inseruit, l. 19. de nupt., & juxta eandem snis temporibus adhuc in Oriente, vigentem dictam §. 4. de nupt. concinnavit, quàmquam contraria disciplina in Occidente custodiretur; quam sanè disciplinam intereret Justiniani, integram remanere, ne Græcum olim latissimè patens Imperium, & tunc in frustra discissum ob atrocium belorum injurias magis magisque discinderetur, quod contingere facilis poterat, si Græci difficiliter apud suos conjugia celebrare valuissent, & invitati fuissent prætextu ineundæ & latius amplificandæ societatis humanæ, ad exterorum Imperio infensorum necessitudines per matrimonia conciliandas. Verum non multò postea, id est circa annum 692., auctoritate Concilii Trullani in can. 52. consobrinorum nuptia improbatæ fuerunt, restituta lege Theodosii Magni, & post ea tempora Græci Legumlatores, & Interpretes aliter scripserunt, quam in Justiniano codice haberetur. Sic in Basilicis lib. 28. tit. 5., & in institutionibus Theophili in §. 4. de nuptiis, consobrinorum nuptia damnantur. Id verosimiliter Trullani Episcopi induxerunt, ne, quoniam Latinis in pluribus repug-

nabant, omnino à Latinorum disciplina recedere viderentur, præsertim in ea re, in qua naturalis quædam honestas posita erat, utque ea ratione Latinorum dicitur occurrerent. Hæc in Oriente. In Occidente autem, ut dictum est, diu perseveravit Theodosiana Constitutio, nunquam deinde à recentioribus Imperatoribus abrogata. Sed postquam Occidentale Imperium à variis gentibus occupatum fuit, utilitas publica, & populorum Regumque advenarum ratio postulabat, causa ineundarum inter exteros & Romanos necessitudinum, ut lex Theodosiana perpetuò vigeret, quod statuit Rex Rotharis circa annum 650., cujus lex extat in lib. 2. legum Longobardarum tit. 8. num. 4. Amplius progressus est Carolus Magnus; cum enim adquisito Occidentali Imperio curaturus esset, ut omnes sibi subjecti, quacumque tandem ex gente progeniti, mutuis se affectionibus prosequerentur quod sanè fieri commode sperabatur, si inter remotioris etiam gradus consanguineos conjugia prohiberentur, & cogere unusquisque ad sibi conjungendos matrimonio eos, qui longè distarent, statuit, ut matrimonio interdiceretur consanguineis usque ad septimum gradum, quemadmodum liquet ex lib. 7. Capitularium cap. 432., & lib. 6. cap. 80., ex quo depromptus est canon 16. caus. 35. quæst. 2. falsò tributus Gregorio Magno. Videri quidem poterat Carolus longè recedere à legibus Romanorum, non adeo arcis finibus connubia concludentium. Sed nihilominus adhuc ipsi deesse non poterant Romanarum legum præsidia, ad quæ confugeret, quoties dogmata Romani juris se adhuc sequi velle professus fuisset, quod Romani Imperii habenas suscipientem decebat: nimirum Romani veteres in successionum causis ad septimum usque gradum consanguinitatis jura porrigi existimabant, Paulus lib. 4. sentent. tit. 11. §. ult., & Modestinus in l. 4. princip. ff. de gradib. & adfin. Hanc disciplinam secuta deinde fuerunt plura

Ecclesiarum Concilia, & Pontifices Maximi, can. 171. 18. 19. & 21. caus. 35. quæst. 2., donec in Concilio Lateranensi initio decimotertiæ sæculi sub Innocentio III. celebrato placuit, ut intra quartum gradum, consanguinitatis jura ad finem contrahendi conjugii coercerentur, cap. 8. de consanguin. & adfin. imò etiam receptum fuit, ut si unus ex contrahentibus quarto tantum gradu distaret, alter verò quinto, vel ulteriore, tum matrimonium ritè celebraretur, cap. ult. eod. tit.; cessaverant enim temporibus Innocentii III. causæ illæ gravissimæ, quæ Carolum Magnum ad extendenda conjugiorum impedimenta, & jura consanguinitatis, excitaverant; imò cum decimotertiæ sæculo in Occidente unaquæque ferè Provincia singularibus Principibus subjaceret, & legibus, è re publica visum est, commodius in provincia sua unicuique concedendum esse uxorem ducere, & ab alienigenarum consortio ac moribus abstinere. Lateranensi disciplinæ nihil fuit in Concilio Tridentino detractum, èique propterea etiam hodie obtemperamus. Ex his omnibus deducitur, in primo collateralium gradu jure naturæ matrimonium improbari; jus autem naturæ generaliter quidem postulare, exoptandum, ut facilis inter remotiores propagine connubia contrahantur, quousque nimirum id patitur societatum inter populos ineundarum publica ratio; interea tamen hanc juris speciem obnoxiam esse variis humanæ societatis vicibus; ex quibus interesse potest, modò ejusmodi impedimenta contrahere, modò latius extendere, eo semper præ oculis habito, quo difficiliter admittantur conjugia in secundo gradu, quam in tertio, & ulterioribus. Eamque ob rem prudentissimè Concilium Tridentinum in sess. 24. de Reform. matrimon. cap. 5. statuit, ut in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam: nimirum nunquam ferè dispensandum est, propter gradum propinquitatis

tis fraterno gradui proximum, quod raro per mores etiam olim fiebat, quando lege publica necdum vetitum erat; dispensandum autem est ob publicam causam, & inter Magnos Principes, quod neque id vetitum sit certa naturali lege, neque divina, sed id primum prohibuerit lex humana, quemadmodum scribebat S. Augustinus supra laudatus; respectu autem Principum ut plurimum subsesse solet æquissima generalis dispensandi ratio ex eo proficiscens, quod populorum intersit, eorumdem Principum animos inter se fortioribus in dies vinculis adstringi, licet aliis jam sanguine conjuncti sint, ad fovendam magis magisque, conciliandamque modis omnibus aream pacem, ac tranquillitatem.

Non est omittenda elegans disquisitio de graduum, ut vocant, computatione, in qua sicut nonnulli ex veteribus hallucinati plurimum sunt in eo, quod recte non computarent, ita complures ex recentioribus meo iudicio longè aberrant à veritate, quod credant, in hoc argumento jus ecclesiasticum juri civili Romanorum adversari, atque aliter Justinianum præscripsisse, aliter Pontifices Maximos, proindeque Pontificiam cum Imperatoria potestate committentes concludunt, vi quadam facta jus civile vinci à canonico in materie conjugiorum, in columi manente juri civilis dispositione, quoties agendum sit de tutelis, & legitimis successioneibus. Sequantur qui velint, hanc ideam jurium mutuo sese collidentium; ego enim commodiorem viam invenio, qua diversa potius esse agnoscam jura, quam contraria. A sæculo Ecclesie undecimo repetenda res est. Nimirum sub Nicolao II. Pontifice Maximo celebrata fuit Romana Synodus anno 1059. in qua ita definitum can. 11. *Ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque ad generationem septimam &c.*; atque idipsum iterum constitutum est in alia Romana Synodo celebrata anno 1063. sub Alexandro II. can. 9. utraque autem Synodus easdem formulas usur-

paverat, quas in suis Capitularibus expresserat Carolus Magnus, dum vetitum conjugiorum ad septimam usque generationem extendit, & quas plura Concilia secuta fuerant, can. 18. 19. & 21. caus. 35. quest. 2. Emerisit hinc repente disputatio gravissima, qua ratione interpretari quisque deberet *septima generationis* nomen: alii enim ita intellexerunt, ut septem cognationis gradus juxta formam juris civilis computarentur, atque ii dicerentur ultra septimam generationem distare, qui ex juris Romani regulis ultra septimum cognationis gradum constituerentur, qua in specie jam videbantur ultra septimam generationem distare illi, quorum uterque esset quarto jam gradu à communi stipite remotus. Alii è contrario duplicandam voluerunt computationem ex latere scilicet utriusque, de quorum cognatione quæreretur, faciendam, ita ut tum demum inter se septima generatione disjuncti crederentur qui septima generatione à communi stipite distarent. Potissimum apud Ravenates hujusmodi controversiam acerrimè viguisse scimus, quam verbis primum, deinde etiam litteris compescere studuit Petrus Damiani, quemadmodum constat ex ejus libro *de Parentela gradibus* misso ad Archidiaconum Ravennatem, & ad Joannem Episcopum Casenam Ravennatensis Archiepiscopi Suffraganeum. Ad omnem disputationem conficiendam Concilium celebravit anno 1065. Alexander II., & decreto edito, quod habetur in can. 2. caus. 35. quest. 5., sanxit, ut septima generatio computaretur ascendendo ab uno ex iis, de quorum matrimonio agitur, usque ad communem stipitem, & tum demum conjugium permitteretur, quando ipse jam ultra septimum gradum à stipite commune distaret. Vulgus interpretum statim in conspectu hujus decreti clamat, Alexandrum à modo computandi jure civile constitutore recessisse. Ego verò infigendo isto principio non possum æquè adsentiri; quippe qui utriusque juris regulas contem-

pla-

platus, non contrarias hac in parte, sed diversas agnovi; neque ex illis sum, qui cum quandam jurium varietatem intuentur, statim de eorundem jurium conflictu, & pugna judicant, gnarus, ut plurimum juris Ecclesiastici, & civilis regulas mutuum sibi manum, & adjuvicem præbere, quemadmodum scripsit Lucius III. in capit. 1. de novi operis nunciati. Reverà eos, qui putabant, hac in re canones veteribus Romanorum regulis adversari, Petrus Damiani tales habuit, ut Romanarum legum peritia non polleret; de iis enim ita loquitur in dicto libro de *Parentela gradibus* cap. 4. *Sed, ut de cæteris sciam, miror saltem Legisperitos ita potuisse desipere, ut subjecta figura oculis viderentur in supputandis gradibus, caligare, qui nimirum dum quartum generis gradum altævum faciunt, quid super hac re etiam sue leges deficiant, non attendunt.* Simili ratione eosdem, qui ita sentiebant, redarguit Alexander II. in epist. 27. ad Neapolitanos ibi: *Sedentes enim in cathedra pestilentie dicant jura, que nesciunt, & docent illa, que nullatenus didicerunt.* In quorum, conspectu, quomodo dici potest, Alexandrum novam computandi methodum induxisse, sed eam esse Romani juris regulis omnino contrariam? Dicam paucis, in quo sita est meo iudicio rei veritas. Jus civile Romanorum nunquam mentionem fecit graduum cognationis in matrimoniis contrahendis; tantum in hereditatibus, aut tutelis, ut dignosceretur quis cognatione proximus esset, vel ut in aduenda intestati hereditate cæteris præferretur, vel ut ad obeamdam tutelam legitimam præ cæteris adigeretur. Hujus rei argumento esse perspicuo potest, quod Justinianus de nuptiis sermonem in institutionibus habens, gradus cognationis minimè recenset, contentus recensere nominatim personas, quibus conjugio interdictum est; sed potius gradus consanguineorum dum de successioneibus intestatorum ageret, enumeravit. Adde Jureconsultum Paulum, qui in l. 10. ff. de gradib. & adfin. utilitatem memorans, quæ ab

Jureconsulto percipitur ex notitia graduum cognationis, mentionem quidem facit de dirigendis heredum ordinibus, tutela deferenda, jurejurando exhibendo, ne verbum quidem habet de conjugii contrahendis. Ubinam in toto Romani juris corpore legitur, in matrimoniis celebrandis computandos esse, vel servandos gradus? Dicitur quidem, inter certas designatasque personas locum non esse justis nuptiis, l. 17. §. 2. l. 39. ff. de ritu nupt., l. 17. cod. de nupt., de gradibus altum ubique silentium custoditur. Quidquod Modestinus in l. 4. §. 5. ff. de grad. & adfin. scripsit, *gradus adfinitati nullos esse*, quando tamen certum erat, etiam inter certas, designatasque personas adfinium nuptias prohiberi; nisi concludamus, nullam in specie nuptiarum factam esse graduum computationem? Fortè oppones Justinianum in §. 3. instit. de nupt., ubi traditur, fratris vel sororis neptem uxorem duci non posse, *quamvis quarto gradu sit*, cui similis formula legitur in l. 17. §. 2. ff. de ritu nupt., ubi legitur, non posse uxorem duci magnam amitam, & materteram, *quamvis quarto gradu sint*. Si exinde deducas, vel Gajum vel Justinianum de graduum computatione sollicitos fuisse, ubi de justis nuptiis quærerent, ego potius deduco contrarium. Si enim inter fratrum sororumque filios olim matrimonia permittebantur, falsò dici potuissent, impedimenta conjugiorum in quarto gradu fuisse posita; si verò prohibebantur matrimonia cum nepte fratris, & sororis, vel cum magna amita, aut matertera, falsò dici potuissent, nulla fuisse in quarto gradu posita conjugiorum impedimenta. Ergo colligitur perspicue, jus civile neque ad quartum gradum porrexisse, neque intra tertium gradum perstrinxisse impedimenta, quasi nulla graduum ratio habenda foret. Dixcrunt Gajus, & Justinianus, inter amitam, vel materteram magnam, ac nepotem nullum esse conjugium, similiter inter patruum magnum, & neptem. En designa-

R 2

na-

nas specialiter personas interdico comprehensas. Addiderunt, *quavis quarto gradu sint*, eodem nimirum gradu, in quo sunt duorum fratrum filii, quorum conjugium ritè contrahatur. En insuper habitam, contemtaque in nuptiis graduum rationem. Itaque in celebrandis conjugii graduum designatio in jure civili Romanorum præstituta non fuit: Primum præstitui visa est recentioribus constitutionibus, sacrorum Antistitum æquè, ac laicorum Principum auctoritate firmatis, quibus declaratum est, usque ad certam, nimirum septimam, generationem contrahi matrimonia non debere. Notanda profectò recentiorum harum legum formulæ, quibus non de gradibus, sed de generationibus mentio facta proponitur, can. 3. 12. 16. 17. 18. 20., & 21. caus. 35. quest. 2. Nomen gradus in utraque transversa linea locum habet, sive in ea, qua ascenditur ad communem stipitem, sive in ea, qua à communi stipite descenditur, cum per gradus ascendamus æquè ac descendamus; quamobrem ubi graduum mentio fit, tot gradus constitimus, quot sunt personarum in utraque transversa linea, ut ex. gr. duo nepotes ex duobus filiis nati in quarto gradu esse dicantur, cum sint ab uno ex nepotibus gradus duo ascendendo ad avum, & totidem gradus ab avo ad alterum ex nepotibus descendendo. At nomen generationis, quo recentiorum constitutionum, & canonum auctores usi fuerunt, significat primum generantis stipitis actum per varios descendendum veluti surculos, ramosque diffusum, ideoque cum à communi stipite exordium fiat usque ad remotiorem ut vocant, geniculum, duplicatis personis, quæ per transversalium generationes descendunt, fit computatio. Equidem fateor, post definitam illam disputationem auctoritate Alexandri II. in can. 2. caus. 35. quest. 5. promiscuè usurpari cœpisse vocabula generationum & graduum, imò & graduum nomen passim usurpatum ad significan-

das generationes, cap. 8. de consanguin. & adfin. Id verò evenit, quia post sublatas dubitationes omnes circa germanam vocabulorum, quibus lex prima exprimitur, interpretationem, & contrarias universas definitas, parum interesse incipit, quibuscumque vocabulis indiscriminatum uti, dummodò quid scribentes senserint, ex modo vulgari loquendi adpareat, Mea hæc qualiscumque tandem habeatur interpretatio (dixerim etiam utriusque juris conciliationem) consonare videtur cum sententia Magni Gregorii, si tamen ipse auctor est canonis 20. caus. 35. quest. 2., & relata apud Alexandrum II. in dicto can. 2. vers. *hanc computationem*. Vixerat Gregorius paulò post tempora Justiniani, id est sub finem sexti sæculi. Callebat ergo modum computandi Justinianum, scilicet ut fratrum filii in quarto gradu constituti dicerentur: attamen quartum illum gradum, non quartam generationem appellavit, sed secundam. Erant igitur Gregorio in secunda generatione, qui erant in quarto gradu, & propterea gradus erat à generatione, distinctus, & generationum numerus duplicato ferè graduum numero computandus. Itaque demonstratum est, diversa potius esse, quam contraria jura, prout initio vel graduum, vel generationum nomina exhibuerunt, & quatenus in jure civili Romanorum nulli designati sunt conjugii gradus, qui deinde designari paulò diversa ratione jure ecclesiastico debuerunt. Id ferè eodem modo contigit, quo sine juris legumque conflictu nomen pubertatis apud Romanos veteres diversam accepit significationem; modò enim, ut in nuptiis, tutelis, & testamentis, in masculis decircumquartum completum annum designavit, modò ad decimum octavum annum extensa, ut in adoptionibus, l. 40. §. 1. ff. de adoption., & in alimentis testamento relicti, l. 14. ff. de alim. & cib. leg., exemplo juris, quod competeat parentibus trium liberorum percipiendi pro liberis decimo octavo anno

minoribus ex ærario publico alimenta, de quo jure videtur Vertranum Maurum de jure liberorum, cap. 16.

Secunda necessitudinis species, qua intercedente conjugia improbantur, est adfinitas, quæ proficiscitur ex matrimonio consummato, & quadam interpretatione proficisci quoque debere visa est ex alia quacumque copula etiam illicita; ea enim fit, ut vir dicatur adfinis cum quibuscumque consanguineis mulieris, cui junctus est, & è converso juncta mulier dicatur adfinis consanguineis viri, quin tamen eveniat, ut consanguineis mulieris, & consanguineis viri sint adfines inter se; cum personam viri & mulieris non egrediatur adfinitas, cap. 5. de consanguin. & adfin. Hac sanè necessitudo non procul distat à consanguinitate, neque dissimili ratione conjugii impedimento est; etenim & ipsa æquabiliter tùm in jure naturæ, tùm in jure gentium, quod naturale jus interpretatur, tùm in jure singulari ofim inter Romanos Cives constituto, deinde in toto Imperio Romano recepto, causam positam habet. Jus naturæ insinuatum in fine capituli 2. Genesios ita virum & uxorem habendos esse perpetuò suasit, ut in duabus personis conjugio junctis una caro esse dicatur; proptereaque non fictione quadam, sed reverè, iis subjicitur uxor, quibus subjectus est maritus, & è converso; neque enim nomina illa & socieri & generi, & socrus & nurus alio jure inducta sunt, quam quo inducta erant nomina parentum & liberorum, unde Augustinus in can. 15. caus. 35. quest. 2. ait: *si vir, & uxor non jam duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda quam filia*. Quòd si naturæ jure filius parentibus subjicitur, & obsequium ipsis ac reverentiam debet, parem eisdem reverentiam, & par obsequium debet una caro cum filio, qualis est uxor; imò & cum uxor subjicitur naturæ jure potestati mariti, quomodò & subjecta dici non potest potestati socieri, in cujus potestate, ut

ut diversi generis, maritus est constitutus? Æquabilitas autem servanda in duobus, qui una caro dicuntur, eandem reverentiam & obsequium à marito postulat respectu parentum uxoris; quamobrem filii impedimento sunt, ne parentibus filii conjugio compulerunt, eadem erunt impedimento, ne gener socru, neve nurus socero misceantur. His addi possunt veterum Scripturarum testimonia, quibus dum hæc conjugia damnantur, Levitici cap. 18. & 20., dicitur, his conjugii revelari parentum, vel liberorum turpitudinem, quòd esset adversus ipsam naturalem honestatem, juxta ea, quæ superius adnotabam. Hac ipsa potiore jure dicenda sunt de nuptiis privigni cum noverca, aut vitrici cum privigna, juxta caput 20. Levitici: unde Paulus Apostolus, cum addisset, inter Corinthios aliquem exstitisse, qui uxorem patris sui haberet, eam talem esse fornicationem dixit, epist. 1. cap. 5.; qualis *neq. inter gentes* audiretur; quos juris naturalis stimulus sentientes Romani Jureconsulti, nefariam esse dixerunt conjunctionem filii cum ea, quæ etsi non uxor, concubina tamen patris fuisset, l. 2. §. 3. ff. de concubinis. Quòd si jure gentium ad naturalis juris interpretationem agnatum est, juxta ea, quæ superius dicta sunt, inter fratres & sorores prohibenda esse conjugia, cove magis inter eos, qui loco parentum sunt, ac liberorum, cur non iisdem ex causis agnoscendum fuit, ut improbari oporteret conjugia eorum, qui ducerent uxorem patrui, vel avunculi vel fratris, item earum, quæ maritis materarentur, vel amitarum vel sororum jungerentur? Æquè hæc omnia in libro Levitici damnata fuere, eisdemque formulis ad naturalem honestatem compositis, quibus indicaretur, non singulare jus in ea parte Judæis fuisse propositum; cujus rei etiam argumentum est, quod Joannes Præcursor Herodi objecerit, non potuisse eum sine turpi probro uxorem fratris habere, uti retulit in Evangelio Mathæus cap.

cap. 14., & Marcus cap. 6., quando contra Herodem non aliud jus obijci potuisset, quam naturale; atque ab ista traditione non recesserunt Romani Jureconsulti, naturalis Philosophiæ apprime consilii, inter quos Papinianus in l. ult. ff. de condic. sine causa, ait inter novercam & privignum, nurum & socerum admitti incestum ex jure gentium. Quod si denique jure Romano latius extensa fuerunt jura consanguinitatum ad finem impediendi conjugii, tacite quoque visa fuerunt jura adfinitatum extensa, etiam si de adfinitate, expressa mentio minimè ferret; hæc enim adfinitatum jura eisdem omnino causis, quibus jura consanguinitatum, perpetuò innitebantur. Quidquid enim Ulpianus, cum sciret, cautum expressè fuisse in jure, ut quis abstineret à nuptiis cum privigna, & filiam uxoris post repudium dimissæ privignam non esse diceret, tamen dixit, ab ejus nuptiis esse abstinendum? l. 12. §. 3. ff. de ritu nuptiar., juncta l. 14. §. 4., & l. 40. ff. eod. Hinc factum est, ut, quemadmodum perpetuò apud Romanos improbatæ erant nuptiæ inter fratres & sorores, ita & improbatæ fuerint nuptiæ inter fratrem & uxorem fratris, inter sororem & maritum sororis, l. 5. §. 8. & 9. cod. de incest. nupt., & quamquam leges istæ auctores laudent recentiores Imperatores, non ideo indicant, tum primùm sub iis Imperatoribus eam disciplinam apud Romanos invaluisse; sed tantum indicant, opus fuisse expressa lege ad improbandam consuetudinem nonnullorum Judæorum, qui putabant, se ea conjugia posse contrahere eo prætextu, quod legalibus præceptis adhærere adhuc possent juxta caput 25. Deuteronom., ad quas sanè personas respicere videntur verba dictæ legis 8. de Ægyptiis concepta, & de certis legum conditoribus, cum tempore Zenonis in Ægypto potissimum Judæorum scholæ florent. Cæterum Mosaicum illud præceptum aliò pertinebat, quam quò vulgò tunc temporis referretur; etenim quod

in dicto cap. 25. Deuteron. statutum circumferebatur, spectabat curandum fraternæ familiæ perennitatem, cujus servandæ maxima erat apud Judæos sollicitudo ante adventum Messie; ita ut qui exinde gignebantur, defuncto fratri filii nascerentur, aliàs autem cautum generaliter erit etiam Judaica lege, ne quis fratris uxorem sibi duceret, Levitic. cap. 20. vers. 21. Recentioribus sæculis cum consanguinitas legibus publicis cœpit esse nuptiis impedimento, primùm lege Theodosii Magni inter fratrum sororumve filios, deinde decursu temporis usque ad septimam generationem, idipsam tradi cœpit etiam de adfinitate. Omitto in hanc rem canones 7. & 12. caus. 35. quæst. 2., ii enim apocryphi sunt. Potius laudo canonem 13. ead. quæst., licet enim falsò tribuatur Julio Papæ, legitur tamen apud Theodorum Cantuariensem in cap. 11. Penitentialis editi à Petito his verbis: *Æqualiter vir conjungitur his, qui sibi consanguinei sunt, & uxoris sua consanguineis, post mortem uxoris.* Laudo etiam canonem sequentem 14., cujus verba leguntur in can. 30. Concilii Moguntini anni 847. ibi: *Sanè eadem, qua in viri, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est; Quia ergo constat, eos duas esse in carne una, communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: erunt duo in carne una.* Eadem habentur in Concilio Cabilonensi anni 813. cap. 29., & in Concilio Vormaciensi anni 868., cap. 78., quibus addi potest, quod legitimus in can. 1. caus. 35. quæst. 10., *si una caro sunt (videlicet vir & uxor) quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri?* Inde colligitur, ut in ulterioribus adfinitatis gradibus non opus fuisset speciali lege, qua conjugia prohiberentur, sed satis esset, jura consanguinitatis ad eum finem extendi, ut tacite intelligerentur extensa jura adfinitatis, quasi eadem ratio foret, & individua. Imò & inde factum est, ut licet olim traderetur, nullos esse adfinitati gradus l. 4. §. 5. ff. de gradib. & adfin., deinde tamen

reciperetur, ut iidem gradus in adfinitate computarentur, qui computantur in consanguinitate, & ex. gr. eod. gradu adfinitatis diceretur distare uxor à consanguineis mariti, quo gradu consanguinitatis ab iis distabat maritus, & è converso; eamque ob rem in eodem adfinitatis gradu aut prohiberentur nuptiæ, aut permitterentur inter adfines, in quo consanguinitatis gradu aut prohiberentur, aut permitterentur inter consanguineos, cap. 8. de consanguin. & adfin.

Prolixior sanè, quam par sit, disquisitio fieret, si hoc in loco recensere pro rei merito vellem varias, qua Latinorum, qua Græcorum disciplinas, occasione latius productæ adfinitatis ad consanguinitatis exemplum inductas media Ecclesiæ ætate, id est à temporibus Justiniani usque ad tempora Concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati. Cum enim passim in ore Ecclesiasticorum virorum resonaret vulgare dictum de viro & uxore, *erunt duo in carne una*, fictio illa unitatis personarum, non tam gradus, quam & genera adfinitatum multiplicavit. Apud Græcos non solum numerati fuerunt gradus adfinitatis ad exemplum graduum consanguinitatis, sed etiam receptum, ut ii velut adfines censerentur impediendi conjugii causa, inter quos nomina per conjugium confunderentur, uti tradit Harmenopolus in promptuario juris civilis lib. 4. tit. 6. Hinc vetitum erat apud ipsos, ne duo fratres patruæles duas sorores ducerent, neve contra duo fratres ducerent duas sorores patruæles, proptereaquod nomina confunderentur, & qui duo fratres erant, quasi fratrum amisso nomine congeneri, sive duarum sororum mariti, appellari inciperent. Non amplius persequor Græcorum disciplinam latius à me expensam in meis animadversionibus in Gratianum ad canones 12. & 13. caus. 35. quæst. 2. Tantùm dicam de disciplina Latinorum, quam expendere juvat ad germanam interpretationem capituli 8. de consanguin. & adfin., cujus

jure etiam in presentia utimur. Itaque Latini ante laudatum Lateranense Concilium triplex adfinitatis genus invexerant. Ajebant ipsi: uxor fratris mei est mihi, consanguineisque meis adfines; quod facile intelligebant, quia uxor fratris una caro facta cum fratre, necessitudinem habebat cum consanguineis ejusdem fratris; hoc autem primùm adfinitatis genus vocabant. Prosequiebantur, & ajebant: quòd si mortuo fratre meo uxor ejus alteri nuberet, hic secundus ejusdem maritus dicens quoque est mihi, consanguineisque meis adfines, quasi secundus maritus una caro factus cum uxore fratris mei, una quodammodò caro sit cum fratre meo; atque hoc secundum adfinitatis genus appellabant. Denique ajebant: quòd si eadem uxore mortua secundus ille maritus uxorem duceret, uxor hæc postremò ducta mihi, meisque consanguineis adfines est, quasi & ista una caro facta cum secundo marito, diceretur una caro facta non tantùm cum uxore fratris mei, sed & cum fratre meo; atque hoc tertium adfinitatis genus dicebant, constituta generali regula, juxta quam copula copulæ superveniens adfinitatis genera multiplicaret. Viguit hæc disciplina usque ad laudatum Lateranense Concilium, quo demùm cautum fuit, ut retentis, servatisque quatuor adfinitatis gradibus, quemadmodum & consanguinitatis, unum tantùm, id est primùm, genus adfinitatis retineretur, cæteris adfinitatis generibus, nimirum secundo & tertio, abrogatis, dicto cap. 8. de consanguin. & adfin., quod adhuc hodie viget. In conspectu novæ Lateranensis constitutionis dubitatio emersit non levis, nùm hodie vitricus uxorem ducere possit eam, quæ fuit quondam uxor privigni, & è converso noverca privignæ olim suæ marito nubere. Qui generalia Lateranensis decreti verba sequatur, facile concludet, nihil istis conjugiiis obesse; cum enim ex duplici copula videatur in propositis speciebus proficisci adfinitas, non alia ad-



finitas esse videtur, quam secundi generis, quæ in Concilio abrogata fuit, uti adnotavit Benedictus XIV. in lib. 9. de Synodo Diocæsana cap. 13., cujus opinionem jam anno 1721. mense Martio sacra Congregatio secuta est in hujusmodi articulo proposito, uti legitur apud Ursajam tom. 4. parte 2. disc. 19. n. 186. Ego verò plurimum vererer, nimis generalem Lateranensis Concilii sententiam etiam ad duos illos singulares casus extendere, seu desinire, species illas singulares in eodem generali decreto comprehendendi. Etenim adhuc observandum est, Lateranenses Episcopos tantum de eo sollicitos fuisse, ut illos tantum auferrent conjugiorum obices, qui passim emergebant ex nimis lata interpretatione vulgaris adagii de viro, & uxore concepti, *enunt duo in carne una*, & qualis invaluerat media Ecclesiæ ætate ad producendas regulas adfinitatum, plusquam par esset; neque satis constat, an præterea voluerint iidem Episcopi Lateranenses etiam auferre obicem nuptiarum respectu illorum, qui nurus & soceri, generi & socrus, dixerim etiam parentum & liberorum quandam haberent speciem, & imaginem; qualis est aut vitricus respectu uxoris privigni, aut noverca respectu mariti privignæ; præsertim quòd obex iste conjugii novercæ aut vitrici præstitutus, in antiquissimo Romanorum jure, fortè etiam ad interpretationem juris gentium, positum fundamentum habet, l. 15. ff. de ritu nuptiar. Neque enim in nuptiis tantum considerare oportet generales quasdam juris editas præceptiones, sed etiam inspiciendum est, quòd honestum sit, quum quædam esse singularia possint, quæ effugerint generalium legum auctores, & ad quæ non facillè generalis lex conjugia quædam permittens porrigatur, l. 42. ff. de ritu nuptiarum, l. 144. & 197. ff. de regul. juris. Rectè saltem dicam cum Paulo in l. 14. §. 3. ff. de ritu nupt., *in re dubia certius, & modestius est, hujusmodi nuptiis abstinere*; quod & statuerat laudata sa-

era Congregatio apud Ursajam, dum anno præcedente, id est 1720. die 3. Augusti, monuit Episcopum consulentem, ut contracturos à contrahendo conjugio dissuaderet, uti legitur in appendice casuum adjecta operibus. De Justis in editione Lucensi pag. mihi 37., quamquam contrarium rescripserit anno 1721., uti superius dictum est, mota fortè ex singularibus speciebus proposita adfinitas.

Itaque verum est, exemplo consanguinitatis adfinitatem constitutam esse, qua matrimonia impedirentur. Exinde duo statim proficiscuntur consecraria; quorum primum est, etiam ex copula illicita adfinitatem nasci; alterum est, adfinitatem supervenientem nuptiis olim contractis impedimento non esse. Primum consecrarium perspicuum redditur observanti, consanguinitatem nuptiis impedimento esse, etiam si consanguinei nati non sint ex legitimis nuptiis, l. 54. ff. de ritu nuptiar., & quidem etiam jure naturæ, quotiescumque de eo gradu consanguinitatis agatur, in quo naturali jure prohibita essent nuptiæ inter consanguineos ex justis nuptiis progenitos. Ad rem Paulus Jureconsultus in l. 14. §. 2. ff. de ritu nuptiarum, postquam tradidit quædam de servili cognatione, quæ sanè ex justis nuptiis proficisci non dicebatur, & dixit: *Nec vulgò quasitam filiam pater naturalis potest uxorem ducere, quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudor inspiciendus est, contra pudorem est autem, filiam uxorem suam ducere*, subjunxit præterea in §. 3. *Idem tamen, quod in servilibus cognationibus constitutum est, etiam in servilibus adfinitatibus servandum est, veluti, ut eam, quæ in contubernio patris fuerit, quasi novercam, non possit ducere, & contra, eam, quæ in contubernio filii fuerit, patrem quasi nurum non ducere. Neque nec matrem ejus, quam quis in servitute uxorem habuit, quasi socrum; cum enim cognatio servilis intelligitur, quare non & adfinitas intelligatur? Sed in re dubia certius, & modestius est, hujusmodi nuptiis abstinere.* Reverà si adfinitatis jus sequitur indolem con-

san-

sanguinitatis ex eo, quòd vir & uxor una caro sint, cur non adfinitas ex illicita copula proficiscatur, quando consanguinitas inter eos intercedit, qui ex quacumque etiam illicita conjunctione gignuntur? cum adhuc in illicitis conjunctionibus, si non jure, saltem factò vir & mulier una caro fiant, quemadmodum ex illicitis nuptiis procreati, si non jure, saltem factò eundem sanguinem derivaverunt. Hanc ob causam Pomponius jam supra laudatus in l. 2. §. 3. ff. de concubinis ita scribebat: *Si quis in patris sui concubinato, deinde in filii esse cepit, vel in nepotis, vel contra: non puto eam rectè facere: quia prope nefaria est hujusmodi conjunctio, & ideo hujusmodi facinus prohibendum est.* Neque his repugnat Modestinus in l. 4. §. 8. ff. de gradib., & adfin., ubi traditur, *neque cognationem, neque adfinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint*; hoc enim pertinet non ad jura conjugiorum, sed potius hereditatum, legitimarumque successionum, quibus locus non fit, nisi ex ea consanguinitatis, atque adfinitatis specie, cui legitime nuptiæ causam dederint, l. 4. ff. unde cognati; quo eodem in sensu Modestinus ipse in §. 11. ejusdem legis 4. scribebat, capite diminutos & cognationes omnes, & adfinitates, quas antea habuerunt, amittere. An veteres canones hanc ex illicito coitu proficiscentem adfinitatem ad totidem gradus, ad totidem etiam genera extenderint, quot sunt, vel erant respectu adfinitatis ex justis nuptiis proficiscentis, ignoro, cum mihi comperta non sint aliqua decreta in hac parte specialiter edita. Tantum scio, in cap. 7. 8. 9. & ult. de eo qui cognov. cons. ux. suæ, fieri mentionem de matre vel filia, de sorore vel fratre. Consuetudine verò inficiari non possum, similem receptam fuisse disciplinam, donec expressa lege constitutum fuit in Tridentino Concilio sess. 24. de Ref. matrimon. cap. 4., ut in primo tantum & secundo gradu adfinitatis ex illicito coitu proficiscentis matrimonium con-

Tom. III.

trahendum impediatur, & contractum irritum habeatur. Alterum consecrarium, quo fit, ut adfinitas superveniens nuptiis olim contractas minimè dissolvat, ex eodem principio etiam profluere posse videtur; cum enim in consanguinitate nunquam evenire, aut fingi casus possit, quo contractò conjugio superveniat, & nunquam propterea eveniat, ut consanguinitate matrimonium jam ritè contractum dirimatur, regula prodiit, ut conjugium non dissolvatur adfinitate superveniente, cap. 2. & 6. de eo qui cognovit, quamquam reus criminis conjugio spontè uti non possit in penam admissi, data ceteroquin innocenti conjugii facultate matrimonio utendi, cap. 1. 2. penult., & ult. eod. tit. Idipsum præterea publica postulabat utilitas, juxta quam facilius certa matrimonia impediuntur, nec contrahantur, quam dissolvantur ritè contracta, præsertim quoties aliàs daretur occasio conjugibus, dissolvendi pro lubito sanctissimum matrimonii vinculum per turpes conjunctiones, quod ne aliis quidem honestis causis dissolvere unquam possunt.

Quamquam naturalis ordo sola hominum voluntate ac consensione immutari non possit, non raro tamen evenit, ut sola hominum voluntate, ac consensione iidem ferè ipsi effectus sequantur, quos in suis operibus natura ipsa constituit. Naturam imitantur homines & arte, & industria, fictione etiam in similia quædam conantur. Itaque cum natura obicem posuerit conjugii, cum consanguinitas, vel adfinitas intercederet, naturales istos nexum imitata societas hominum obicem posuit conjugii celebrandis in certis necessitudinum speciebus, in quibus aliqui inter se non quidem verè adfines essent, vel consanguinei, sed fictione quadam aut adfines aut consanguinei viderentur; cum justissimi sunt aut necessitudo, quæ appellatur justitia publica honestatis, aut cognatio civilis, aut denique

S

cog-

cognatio spiritualis. Ad exemplum adfinitatis agnita est necessitudo illa, quæ oritur ex matrimonio rato necdum consummato, & simili propemodum ratione ex sponsalibus. Quænam sint observanda, ubi ex sponsalibus nascitur, jam suo loco superius animadvertendum fuit. Ubi verò nascatur ex matrimonio rato necdum consummato, fateor quidem, apud veteres non editam fuisse expressam legem, qua justitia intercedente publicæ honestatis conjugia damarentur. Id evenit ex eo, quòd vix emergebat casus, qui singulari legi occasionem præberet, infrequensque admodum casus erat rati matrimonii necdum consummati, iis præsertim temporibus, quibus in matrimonio rato contrahendo tot non adhibebantur solemnitates, quot in præsentia fiunt. Verùm statim ac legibus expressè cautum fuerat, ut consanguineus sponsi ducere non posset sponsam, vel sponsus ducere non posset consanguineam sponsæ etiam dissolutis sponsalibus, l. 12. §. 1. & 2., l. 14. in fine ff. de ritu nuptiar., satis id erat, ut concluderetur, longè potiore ratione idipsum dicendum fore ubi matrimonium ratum interessisset; & reverà ita rescripsit Zeno Imperator in l. 8. cod. de incestis nuptiis, ubi in specie casus emerit ejusmodi, & propositus eidem Imperatori fuit. Hæc justitia publicæ honestatis probata fuit variis Pontificum Maximorum rescriptis, adeo ut ad eos usque gradus protrahatur, ad quos adfinitas protracta fuit, quamobrem hodie usque ad quartum gradum matrimonium impedit, quamquam, uti superius suo loco dictum est, non adeo extendatur ea, quæ ex sponsalibus oritur juxta Concilii Tridentini constitutiones. Quòd si quæras, an etiam ex matrimonio irrito, vel dissoluto ex. gr. per ingressum in religionem, hoc impedimentum locum habeat, adfirmativè respondeo, nisi matrimonium irritum fuerit ex defectu consensus, puta, quia vi, aut metu, aut errore contractum; quia & id in spon-

salibus olim obtinebat, cap. un. de sponsal. in 6. Et quamquam in sponsalibus aliter hodie servetur ex nova Tridentini Concilii constitutione, sess. 24. de Reform. matrimon. cap. 3., nihilominus firmum manet jus vetus in iis, quæ ad matrimonia pertinent, quia in ejus juris abrogatione Tridentini Patres mentionem tantum de sponsalibus, non de matrimonio rato fecerunt. Neque dicas, nullam olim fuisse expressam constitutionem de irritando matrimonio, cui obicem poneret justitia publicæ honestatis ex conjugio irrito extra causam defectus consensus, sed hoc inductum exemplo publicæ honestatis ex sponsalibus proficiscentis; proptereaque satis fuisse Tridentinis Patribus abrogavisse illud impedimentum in sponsalibus, ut censeretur abrogatum in matrimonio. Etenim multum hæc distant: nam validius est vinculum matrimonii rati, quam sponsalium; quamobrem statim ac nexus quidam sponsalibus adseritur, fortius adseritur matrimonio rato, etiam facta argumentatione à sponsalibus ad matrimonia, lege nimirum expressa respectu matrimoniorum deficiente; at statim ac deinde nexus quidam denegatur sponsalibus, non exinde veluti per consequentiam denegatum intelligitur matrimonio rato. Non opus probationibus, quando scimus, id perspicuè definitum fuisse à Pio V. in constitutione, quæ incipit *Ad Romanum* 62. anni 1568. Kalend. Julii.

Consanguinitatem quoque ex figmento Romani juris imitari alia necessitudo, confirmata primùm Imperatorum legibus, deinde etiam jure Ecclesiastico comprobata; nimirum ea, quæ ex adoptione proficiscitur, estque ob eam causam nuptiis impedimento, can. 6. caus. 30. quæst. 3., cap. un. de cognitione legali, l. 14. 17. 55. ff. de ritu nuptiar., l. 23. & 44. ff. de adoptione, §. 2. & 3. instit. de nupt., junctâ l. 4. §. 2. ff. de grad. & adfin. Nemo dubitat, quam ante novas Justiniani leges hæc jurisprudentia locum haberet, sive

in adrogatione, sive in adoptione, ut vocant, in specie, cum olim adoptatus æquè, ac adrogatus in familiam potestatemque adoptantis transiret. Verùm cum Justinianus in l. 10. cod. de adoptione statuerit, adoptatos ab extraneis in familiam potestatemque adoptantis minime transire, sed in patris naturalis potestate, ac familia permanere, dubitari cœpit, nùm omninò actum sit de contracta ex causa adoptionis cognatione, quæ eo usque nuptias impediverat. Ego puto, in proposito adhuc cognationis jura consistere, quæ ante Justinianeam constitutionem consistebant; etenim Imperator in dicta l. 10., quamquam decreverit, adoptatum in patris familia habendum esse, & ad adoptantis familiam non pertinere, id tamen sancendum voluit ratione tantummodò habita testamentaria successione, qua fieret, ut à naturali patre filius in adoptionem datus præteriti testamento non posset, ne si fortè ab adoptante emancipatus esset, utraque successione frustraretur: ea etiam de causa noluit adoptantem patrem obligari, ut in testamento filium adoptivum heredem necessariò institueret. Cæterùm quòd spectat reliquos adoptionum effectus, ne verbum quidem in dicta l. 10. habetur; quamobrem verosimile admodum est, respectu illorum vetera adhuc jura suam firmitatem habere. Quidquid enim Justinianus idem in eadem ipsa l. 10. adoptivum filium voluit ad bona intestati patris adoptantis posse pervenire, §. 1. quidquid in §. 2. meminit emancipationis, per quam adoptionis vinculum dissolvatur; nisi adhuc Imperator voluisset, vinculum quoddam cognationis ex adoptione soboriri? His accedit, Justinianum, qui post eam editam legem institutiones elucubravit, in dicto §. 2. & 3. instit. de nupt. generaliter tradidisse, inter adoptantem, & adoptatam, item inter fratres adoptivos conjugia iniri non posse. Non est autem verosimile, usum illum fuisse generali adoptionis nomine, si indicare voluisset,

solam adrogationem, non adoptionem impedimento nuptiis esse. Fateor quidem, post Justinianeam constitutionem nullum esse amplius locum patriæ potestati in adoptante: at non ex una patriæ potestate civilis cognatio pendeat, sed potius ex paternæ adfectione, argumento l. 26. in fine cod. de nuptiis.

His generaliter positis, quæri solet, ad quas personas, & quos usque ad gradus hæc legalis cognatio referatur. Nihil in hac re recentioribus ecclesiasticis constitutionibus innovatum est, proindeque firma adhuc manent veteris juris Romani principia, ex quibus deducitur in primis, in linea recta perpetuò matrimonii interdicti, nimirum inter adoptantem, & adoptatam, etiam si per emancipationem adoptio sublata sit, §. 2. instit. de nupt., l. 55. ff. de ritu nuptiar., at inter adoptantem, & filios adoptati tum demum, quum filii cœterique descendentes adoptati erunt in adoptati familia, dum adoptio consistit, quia quoquoquomodò & isti etiam adoptati videntur, argumento l. 15. ff. de adoptione, non verò quando filii in familia adoptati non sunt; quamobrem ex. gr. filia adoptata famiæ jure patri adoptanti jungetur, cum ista non sit in adoptata sed in patris sui familia. Eadem ratione dicendum est, patrem adoptantis ducere posse in uxorem adoptatam, quia inter ipsos nulla exitit adoptio, nec paternæ proinde aut filialis adfectio, quod tamen tum verum est, cum dissoluta per emancipationem adoptio fuerit, l. 55. §. 1. ff. de ritu nuptiar. Præterea deducitur, in linea transversa, sive collateralium, cognationem tantum contractam intelligi inter filium naturalem, & adoptatum, inter filios filii naturalis, & filium eundem adoptatum, inter fratrem, sororem, patruum, & amitam adoptantis, & adoptatum, ac propterea, quousque durat adoptio conjugia prohiberi, quibus locus erit soluto per emancipationem seu adoptivi, seu naturalis filii nexu patriæ potestatis, dicta l. 55. §. 1., junct-

juncta l. 17. ff. eod. tit. Nūm duo filii adoptivi inter sese conjuga contrahere prohibeantur, nullibi in jure definitum invenio: ac propterea non dubito, cessante lege matrimonium permitti debere, in hac præsertim specie, in qua merum civile jus figmentum, non naturalis alicujus juris interpretatio versatur. Deducitur etiam, in cognatione legali suum certis in casibus habere locum adfinitatem, nimirum intra hos gradus coercitam, ut nequeat filius adoptivus ne post emancipationem quidem eam ducere, quæ fuerit adoptantis uxor, utpotè quæ novercæ locum tenet; ne pater adoptans possit eam uxorem habere, quæ adoptivi filii uxor extitit, utpotè quæ nurui æquiparatur, l. 14. princip. & §. 1. ff. de ritu nuptiar., l. 23. ff. de adoption. Denique illud adjuvandum est, adoptionem supervenientem non posse matrimonium jam ritè consistentes dissolvere, etiam si talis esset adoptio, quæ contrahendum matrimonium impediret l. 12. princip. ff. de ritu nuptiar., ne prætextu civilis inducenda adfinitas videatur nuptialis, & quidem validior, dissolvi adfectio, quam naturale jus induxit, ac fovet. Paucis regulas universas ita complector: quarum prima est, hanc ex adoptione proficiscentem necessitudinem esse juris civilis figmentum, ac propterea ad alias species, ne prætextu quidem similitudinis, extendi non posse, quam quibus in jure expressè posita fuit. Secunda est, hanc necessitudinem inveciam esse exemplo cognationis naturalis, & quando ante legem Theodosianam superariis explicatam cognatio naturalis intra æreos fines continebatur, ita non ultra eosdem fines extendebatur cognatio legalis, imò ne extensa quidem fuit post legem Theodosianam, cum nec lege Theodosiana, nec alia lege post Theodosianam, quidquam amplius de cognatione legali expressè fuerit constitutum, imò & ex hoc principio proficiscitur, quod nuper dictum est, adoptionem supervenientem matrimonium non dis-

solvere, quia nimirum nunquam casus fingi potest, quo cognatio naturalis conjugio superveniat, conjugumque dissolvat.

Non solum civilis cognationis exemplo inducta est alia necessitudo, quæ spiritualis cognatio dicitur, verum etiam ipsa in cognatione civili habuit primum positum fundamentum. Refert Procopius in lib. 1. Historiæ arcanae, olim in more fuisse Christianorum, ut filios sibi adoptarent eos, quos ad Sanctam Ecclesiam causa suscipiendi baptismatis adducerent. Vulgaris loquendi formula, qua juxta Evangelium baptizati dicebantur regenerati, sive secundam subsistens nativitatem, occasionem præbebat invehendæ disciplinæ, qua fieret, ut filii Aethnicorum, & Judæorum recederent à patria potestate, & inciderent ope adoptionis in potestatem illius, cujus manu ad baptismum adducebantur, & è baptismali fonte suscipiebantur, ex eo præterea quoddam qui adduceret, pro baptizatis sponderent, futurum, ut nunquam baptismate abuterentur, nec recederent ab Ecclesia, unde susceptores passim *sponsores* appellabantur, quod sanè fieri omnino non poterat, nisi quandam instar paternæ potestatem in baptizatos exercerent. Hæc planè potestas in usu esse desiit, postquam Christiana fides amplius reddita fuit, & latissimè propagata, unde passim Christianorum filii ad baptismum adducebantur, perraro Aethnicorum aut Judæorum; neque enim tum visa amplius fuit necessaria extraneorum potestas in baptizatos. Nihilominus tamen licet in usu esse desineret adoptio, adhuc videbatur quædam contrahi necessitudo inter baptizatum, & susceptorem baptizati. Non memoro hoc in loco ea monumenta, quæ edidit Isidorus Mercator, & quæ falsò tribuit vestustissimis Pontificibus, tanquam ea, quibus nulla fides, & auctoritas inest. Dicam primum, hanc necessitudinem post exoletam adoptandi disciplinam, positam falsè abs Justiniano Imperatore in l. 26. eod. de nuptiis,

titis, ob eam causam, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante anima eorum copulata sunt. Presior fuit Trullani Concilii formula in can. 53., in quo confirmata adparet Justiniana constitutio, imò & traditum fuit insuper, spirituales adfinitatem conjunctione corporum esse majorem. Quis non videt hujusmodi rationibus adjectis eam necessitudinem, quæ origine sua vix inter suscipientem, & susceptum continebatur, paulatim produci potuisse, ut quemadmodum in adoptione, & adfinitate certi gradus constituti erant, ita & iidem in cognatione spirituali recipere, cap. 1. caus. 30. quæst. 1. Hoc argumento usus fuit Nicolaus I. in can. 1. caus. 30. quæst. 3., cui adicere possumus canones 2. 3. & 5., quibus receptum est, ut per varios gradus hæc spiritualis cognatio progrediretur, præ cæteris autem, ut filius naturalis susceptoris susceptam non posset ducere, quamquam non omnes in hanc rem sine discrimine consentirent, agentibus nonnullis cognationem hanc spiritu, non sanguine contrahi, can. 7. caus. 30. quæst. 3. Cæterum recentiore ætate, præsertim post leges Longobardas, quarum fragmentum est in lib. 2. legum Longobardarum tit. 8., Nicolai I. sententia passim recepta fuit, & à recentioribus Pontificibus confirmata, cap. 1. de cognat. spirit., cap. 1. de cognat. spirit., cap. 1. eod. tit. in 6. An baptizans cum baptizato eam necessitudinem contraheret, quemadmodum & cum parentibus baptizati, olim definitum non fuerat, quia forte aut necdum, aut raro casus emergerat de conjugio baptizantis, ut plurimum Episcopi, aut Sacerdotis, Sed eveniente casu laici baptizantis, & proposito apud Joannem VIII., definitum cepit, etiam ad baptizantem eam cognationem extendi, rectè Justinianæ legis, & receptæ in susceptoribus disciplinæ interpretatione, can. 7. caus. 30. quæst. 1. Amplior deinde adhuc reddita fuit disci-

plina, nam recentioribus sæculis etiam in Sacramento Confirmationis idipsum receptum est, ut ad exemplum susceptorum baptizati, susceptores etiam confirmati, spirituales cognationem contrahere dicerentur, cap. 1. §. ex confirmatione de cognat. spirit. in 6., quod jampridem statutum fuerat in Compensidensi Concilio anni 757. can. 15. & 19. Eò res redacta fuit nonnullorum opinione, ut ex aliis etiam Sacramentis cognatio quædam induceretur, ac potissimum ex Sacramento Penitentiae, quemadmodum conatus est auctor canonis 8. caus. 30. quæst. 1. falso Simmacho Papæ tribuiti. Ast has juris prerogationes coercuit Bonifacius VIII. in cap. 3. de cognat. spirit. in 6., decernens, cognationem spiritualem non oriri, nisi causa duorum Sacramentorum, videlicet Baptismi, & Confirmationis baptismi, quod lex expressè ex eo cognationem induxisset, confirmationis quod habita fuerit, veluti quædam baptismatis perfectio, & complementum, can. 3. de cons. dist. 5. non verò penitentiae, quia, uti deinde observavit S. Thomas, hoc Sacramentum nunquam generationis speciem habuit, sed iudicii, nec propterea in ea re erat cum baptismate æquiparandum. Verus fuit quæstio, an qui suscipiebat baptizatum causa supplendarum Ecclesiæ ceremoniarum in baptismate olim collato omissarum, cognationem contrahere diceretur. Id non admisserunt Pontifices Maximi, quamquam hujusmodi susceptores admonerent, ne contraherent nuptias, cap. 5. de cognat. spirit., cap. 2. eod. tit. in 6., quod nostri appellaverunt *impedimentum catechismi*, illud inter impedientia, ut vocant, non inter dirimentia impedimenta recensentes. Et quidem ante Clementem III. nullibi adparet, occasione catechismi aliquid conjugis subesse potuisse impedimentum. Tantum nonnulli fuerunt, qui argumentis à simili contententes, irrita post catechismum conjuga esse credebant. Id noluit admittere Clemens III. in dicto cap. 5. ubi addidit, eam rem vix con-

trahendo matrimonio impedimentum allaturam. Visa fuerunt dubia hæc Clementis verba, quamobrem de eorum interpretationem Bonifacius VIII. in dicto cap. 2. asseruit, per catechismum impedimentum opponi conjugis, quamquam si conjugia contrahantur, adhuc jure consistant: an in hoc Bonifacius auctoritate sua novam juris disciplinam inxerit: an recte potius interpretatus fuerit Clementis III. rescriptum, alii investigent. Multa hodie immutata sunt ex decreto Concilii Tridentini in cap. 2. sess. 24. de Reform. matrim., cujus definitione, hodierna dirigitur disciplina. Nimirum statutum est, ut unus tantum, sive vir, sive mulier vel ad summum unus & una, baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos & baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem, ac matrem, tantum spiritualis cognatio contrahatur; quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituales non contrahant; demum adjectum est, ut ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusve patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis, cognationis impedimentis omnino sublati. Exinde colligitur, hodie inter illos tantum, qui in Tridentino Concilio expressè nominantur, spirituales cognationem contractam intelligi, nullam inter ceteros, etiam si antiquo jure cognati haberentur. Quamobrem nullum hodie dubium superest, quin baptizata, aut confirmata filio susceptoris nubere valeat, item qui sunt consusceptores possint simul matrimonio jungi, & demum nullum amplius supersit hodie impedimentum, quod dicitur catechismi. Imò nec omnes susceptores pro cognatis habebuntur, sed hi tantum duo ad summum, qui fuerint à baptizati, vel confirmati parentibus designati, & tanquam susceptores habiti à baptizante. Quod si forte aut parentes baptizati, aut

Parochus baptizans, Concilii Tridentini decretum negligentes sine ulla designatione plures permiserint susceptorum officio fungi, puto, cum nemine contractam esse à baptizato, aut baptizati parentibus cognationem, cum nemo ex illis tanquam susceptor, utpote contra leges accedens, jure habeatur, quidquid in contrarium tradat Fagnanus ad cap. 1. de cognat. spirit. num. 5., & Barbosa in Collectaneis Doctorum ad cap. 2. eod. titulo; neque enim in hanc rem amplius adferri potest capitulum 3. de cognat. spirit. in 6., quando Concilium Tridentinum, cujus unius hodie jure utimur, arctius prohibuerit, ne plures susceptoris officio fungantur, quam olim prohiberetur.

Non omnes tamen Tridentino Concilio disputationes diremptæ sunt, quæ in hac materie olim occurrerant. In primis enim disputatum est, num qui in extrema necessitate infantem suum baptizasset, ab uxore sua, quasi spiritualis cognatus, sejungendus esset? Hanc sanè speciem exceptam à generali regula veteres canones voluerunt, can. 7. caus. 30. quæst. 1., cap. 2. de cognat. spirit., non enim adeo facile matrimonia semel jure contracta dissolventur, aut abs jure conjugii legitimo arcendi sunt conjuges ex eo, quod filio recens nato periclitanti optime consulere voluerunt. Non ita sanè dicendum esset de eo, qui filium suum ex stupro adulteriove susceptum, ut in necessitate interveniente, baptizaret; hic enim à contrahendis cum baptizati matre nuptiis omnino removeretur. Præterea disputatum est, quinam propriè susceptorum nomine veniant. Et passim à Pragmaticis traditur, neminem propriè suscipere, nec propterea cognationem contrahero, nisi verè baptizatum, vel confirmatum teneat, seu tangat eo tempore, quo Sacramentum administratur, & quidem non ut tantum adjutorium ferat accidenti, aut delato ad ministrum Sacramenti, sed ut reverà tanquam susceptoris officium gerere intendat: quod

pru-

prudenter deducitur ex sacrorum canonum verbis, quibus ejus cognationis jura firmata sunt; non tamen requiritur, susceptorem respondere pro suscepto, seu fidem ejus nomine profiteri, licet aliquando sacris canonibus id onus impositum fuisse susceptoribus videatur, can. 105. de cons. dist. 4., cum hoc potius ad catechismum pertineat, quam ad Sacramenti administrationem, cujus potissimum causa cognationem contrahi traditum est. Quod si quisquam non per se baptizatum confirmatumve susceperit, sed per procuratorem, quod fieri posse, vel ipsa quotidiana praxis demonstrat, recepta hodie fuit opinio illorum, qui tradiderunt, non à procuratore, sed à principali cognationem contrahi, cum non procurator, sed principalis verè susceptoris officio fungi intelligatur. Exinde deducitur, si quis Civitatem, Universitatem vel Collegium velut susceptorem suum designet, nullam spirituales cognationem contrahi; non sanè cum Civitate, Universitate, vel Collegio, utpote quæ corpora sunt cognationis incapacia; non cum Syndico Civitatis, Universitatis, vel Collegii, utpote qui non suo, sed alieno nomine suscipiat. Item disputatum est, an is, qui sacris canonibus à susceptoris officio arcetur, si nihilominus eo fungatur, cognationem contrahat; quemadmodum contingeret in eo, qui non est baptizatus, vel confirmatus, can. 102. de cons. dist. 4. Ego puto, nullam cognationis necessitudinem contrahi, quod leges eam inducentes præsumantur de iis tantum fecisse mentionem, qui legitimi sint susceptores. Eadem ferè ratione, ubi Sacramentum baptismatis, vel confirmationis invalidum fuerit quacumque de causa, arbitrator, nec ullam cognationem intercedere, quod leges cognationem inducentes mentionem fecerit non de externa conferendi baptismatis specie, sed de ipsa Sacramenti collatione. Quod si quæras, num qui infantem suscipit, de quo dubitatur, an fuerit baptizatus, quique propterea baptizatur sub

conditione, cognationem contrahere intelligatur: ego respondeo, haberi, ac si cognatio contrahatur, quoties res omnino dubia fuerit & incerta, quemadmodum ex gr. contingeret in infante exposito; cum enim hac in specie non probetur antea jam collatum, quod sub conditione baptismata confertur, tanquam verum baptismata, & cum effectu collatum habetur. At quoties certum est, infantem baptizatum esse, ac dubitatur tantum leviori de causa, num in baptismate aliquid omissum fuerit ad substantiam Sacramenti pertinens, uti evenire solet cum infans periclitatus statim baptizatur ab eo, qui non est valde edoctus in Sacramentorum administratione, non crediderim, contrahi spirituales cognationem, cum mens Ecclesie, in ea specie ad majorem quamdam, & pleniorum cautelam baptismata sub conditione conferendum receperit, non ut necessarium omnino sit ita conferre, neque verosimiliter putent qui conferunt, aut collationi intersunt, verè Sacramentum administrari. Item ego non dubito, quin pro cognato non sit habendus ille, qui recens natus infantem in extremo vite periculo constitutum suscipit, dum sine solemnitate baptizatur, eumque exhibet baptizanti; is enim verum suscipiendi animum non habet, & tantum vult necessarium munus obire, infantem sustinendo ut commodius Sacramentali aquæ subjiciatur. Disputari etiam solet, an qui suscipit in baptismate filium Judei, vel Infidelis, cognationem spirituales contrahat cum Judeis, Infidelibusve baptizati parentibus? Et puto, nullam cognationem contractam intelligi, cum ejus tanquam spiritualis necessitudinis Judei, vel Infidelis sint incapaces: neque mihi placet opinio illorum, qui crediderunt, cognationem esse penes Christianum tantum, non penes Judeum, aut Infidelem, cum repugnet, cognationem fingere, nisi in duabus personis, quæ tanquam cognatæ mutuo habentur; relativa enim sunt cognationis sicut agnatorum, ita & cogna-

natorum. Atque id adeo verum est, ut licet deinde Infidelis, aut Judæus ille baptizetur, non convalescat cognatio, utpotè quæ ab initio non fuit. Non est sanè dubitandum, præsertim post Tridentinam sanctionem, qua intra augustiores fines coërta est spiritualis cognatio, eam cognationem non contrahi ab ignorantibus nimirum ab eo, qui certam personam se suscipere putat, dum aliam suscipit; qui enim error impediret, ne adoptio facta crederetur, neve propterea civilis cognatio contracta, impedit quoque, ne contrahatur cognatio spiritalis: & quamquam sub Nomine Deus dedit Papa dicitur in can. 1. caus. 30. quæst. 1., adhuc contractam cognationem censi, canon tamen ille utpotè apocryphus nullius momenti est, neque dubitavit Alexander III. contra eundem manifestè scribere, cap. 2. de cognat. spirit. Denique observatu dignum est, hodie præsertim, in cognatione spiritali nullam induci adfinitatem; neque ex. gr. uxorem susceptoris dici posse cognationis quandam speciem habere cum baptizato; neque enim, ut scribebat Paschalis II. in can. 5. caus. 30. quæst. 4., cognationi carnis cognatio spiritus comparatur; neque per unionem carnis ad unionem spiritus pertransiunt. Sanè olim id in disputationem veniebat ex eo, quòd vulgò proferebantur Nicolaus I., & Innocentius I., item Chalcedonense Concilium ea conjugia improbasse, can. 1. 2. & 3. caus. 30. quæst. 4., è contrario proferebantur Paschalis II., & Concilium Triburiense ea conjugia admisisse, can. 4. & 5. ead. causa, & quæstione. Si Gratianus agnovisset, post canonem 5. laudatæ quæstionis, facta distinctione conatus est, ut eos invicem componendo conciliaret, tradens, distinguendum esse inter speciem, qua quis uxorem cognovisset post con-

tractam spirituale cognationem, & speciem, qua quis tantum ante contractam eam cognationem cognovisset, ad priorem speciem referens canones 1. 2. & 3., ad posteriorem canones 4. & 5. Nil mirum propterea esse debet, si Clemens III. doctrinam Gratiani facillè secutus, cognationis spiritalis jura ad adfinitatem etiam extenderit in cap. 4. de cognat. spirit. Verùm hodie hæc supervacanea sunt post Tridentinum decretum, quo extra casus in eodem decreto expressos cognatio spiritalis minimè extenditur.

Nondum recedendum puto ab hac generali cognationum materie, quousque nonnulla subjecero ad investigandum, an quæcumque seu naturalia, seu divina, seu humana præcepta, quibus inter cognatos, cujuscumque tandem generis cognatio fuerit, matrimonia improbata sunt, ita conjugii obstant, ut conjugia contra ea contracta pœnitùs irrita habeantur. Sanè quæ diximus naturali jure vetita inter consanguineos, vel adfines, irrita pœnitùs erunt, propterea quod honestati repugnant, juxta regulas generales in capite 1. præjactas. Id ipsum præterea dicemus, quotiescumque agatur de præceptis divinis, quæ aut explicaverunt præcepta naturalia, aut paulò latius extenderunt. In cæteris autem necessitudinum impedimentis possessivo jure constitutis, cur non id ipsum dicendum sit, quando qui leges easdem positivas ediderunt, exemplo naturalis juris usi sunt, id est naturalis cognationum, & necessitudinum jura ad alias necessitudines extendentes, voluerunt, quòd in illis, id etiam in istis servari? Imò etiam liquet, leges easdem positivas fuisse munitas expresso irritante decreto, aut saltem ea formula, quæ decreto irritanti æquipolleret. Ut à consanguinitate exordiar, quam Theodosius Magnus ad filios fratrum & sororum primus extendit, liquet, eam fuisse Imperatoris mentem; etenim quando ejus filii in l. 19. cod. de nuptiis voluerunt Theodosianam legem abrogare, pro-

fessi sunt, in posterum ea matrimonia legitima futura, & legitimos filios exinde genitos, quod dici non potuisset, nisi Theodosiana lex irritum omninò conjugium dixisset. Quando recentioribus temporibus ad ultiores generationes extensa consanguinitas fuit, clausula adjecta fuit hujusmodi: *conjugium separetur*. Ita in Concilio Moguntino can. 54., in Concilio Vormaciensi can. 78., & in can. 21. caus. 35. quæst. 2., quæ sanè verba in conjugium, non in conjuges directa, vim habent decreti irritantis. Quamobrem jure cum Romanis Correctoribus expungemus à can. 16. caus. 35. quæst. 2., cujuscumque sit auctoris, postrema illa verba non in conjugium, sed in conjuges directa, quòd si fecerint, separetur; cum ea in integris canonis ejusdem exemplaribus desiderentur. Non erat autem opus in Lateranensi Concilio cap. 8. de consanguin. & adfin., novum decretum irritans adjicere, quia de quarto consanguinitatis gradu, quem retinendum mandarunt Lateranenses Antistites, jam firma erat vetus disciplina. De adfinitate id ipsum dicendum est; statim ea enim, ut diximus, tradi cœpit, æqualiter inter consanguineos, atque inter

adfines, matrimonia improbari, can. 13. caus. 35. quæst. 2., Concilio Moguntino can. 30., Concilio Cabilonensi can. 29., & Concilio Vormaciensi cap. 78. idem erat, ac si dictum esset, conjugia inter adfines contracta pœnitùs irrita fore. Exemplo adfinitatis inducitur est justitia quædam, ut vocant, publica honestatis, l. 12. & 14. ff. de ritu nupt. Cur non, si inter adfines irritæ erant nuptiæ, irritæ quoque essent, ubi justitia publicæ honestatis intercederet? Adde, in l. 8. cod. de incest. nupt. decretum irritans expressè adparere, quemadmodum & in cap. un. de sponsal. in 6. In cognatione civili usurpata verba filiorum, fratrum, socrus, & nurus, nonne indicant animum Legumlatorum irritandi conjugii? l. 14. 17. ff. de ritu nuptiar., l. 23. & 44. ff. de adoption., can. 6. caus. 30. quæst. 3., imò & decreto irritante munitas fuisse leges veteres, auctor est Nicolaus in cap. un. de cognat. leg. Denique spiritualis cognatio ad exemplum civilis inducta easdem habuit vires; imò & Justinianus decretum irritans legi suæ adposuisse videtur, dum dixit, susceptorem ad baptizati nuptias venire omnimodò prohibendum, l. 26. cod. de nupt.

## CAPUT V.

### De iis, qui aliquo jam voluntario vinculo detinentur, ne conjugium ineant.

Sunt & alii complures, qui legibus à contrahendo conjugio arcentur, quales sunt ii, qui jam fidem suam aliis obtinuerunt, vel quia jam alteri conjugio juncti sunt, vel quia perpetuo, eoque solemnî continentie voto se Deo dedicaverunt. Quod in primis ad eos attinet, qui conjugali jam vinculo adstringuntur, non dubito, quin divino jure, & quidem eo ipso, quod initio Creator Deus homini dedit, id definitum fuerit, quoniam ita in sacris litteris aper-

tissimè demonstratur, Geneseos cap. 1. & 2., Matthæi. cap. 19. Si in hoc argumento ea congerere vellem rationum momenta, quæ demonstrarent, unius tantum cum una matrimonio esse debere, multa planè dici possent, ad ostendendum, in multiplici conjugum numero non rectè observari posse naturales matrimonii fines; inter cæteros autem honestam liberorum educationem, & firmam inter virum & uxorem animorum conjunctionem. Distinguamus speciem à